

1498. März 31. Regensburg. Thateus Nanus und Mauricius, Professen von St. Jakob in Regensburg und Johannes, Profess von St. Jakob in Würzburg, schwören dem Abt David von St. Jakob in Regensburg Urfehde, da sie einige Tage in Weih St. Peter eingesperrt waren und versprechen stricten Gehorsam. Zeugen: Rudolf Koln, Schotte, Cleriker der Diöcese Glasgow und Mgr. Fabian Wachter, Cleriker der Diöcese Mainz. 393.

N. e. Notariatsinstrument d. kais. Notars Thomas Vieregkel, Regensburger Clerikers, i. Allg. Reichsarchiv z. München.

1498. Mai 22. Regensburg. Erwählung des Conventualen Walther von St Jakob zum Abt von Regensburg, nach dem am 19. Mai 1498 erfolgten Tode des Abtes David, durch den Regensburger Convent unter dem Vorsitz des Priors Cornelius von Weih St. Peter. 6 Conventualen und der Prior unterschreiben den Wahlact. 394.

Orig. i. bischöfl. Archiv zu Regensburg.

1498. August 5. Rom. Alexander VI. beauftragt den Propst von St. Mang und den Decan von St. Johann, den Regensburger Schottenabt Walther über den sich Bischof Rupert von Regensburg wegen Geldverschleuderung beschwert hatte, hievon abzuhalten und Zuwiderhandlungen mit den kirchlichen Strafen zu belegen. Dat. Rome apud St. Petrum etc. pont. n. a. VII^o. 395.

Orig. i. bischöfl. Archiv zu Regensburg (fehlt bei Janner).

1499. Juli 1. Papst Alexander VI. delegiert die Aebte von b. Marie Virg. in Castell, St. Jakob in Ensdorff und St. Georg in Prülling, dem Schottenkloster in Regensburg zur Wiedererlangung der ihm von einer Reihe früherer Aebte verschleuderten und entfremdeten Güter mit allen Kräften behilflich zu sein. Dat. Rome apud Sct. Petrum a. inc. dom. 1499, Kal. Julii pont. n. a. VIII^o. 396.

Ried, Cod. Scot. Nr. 94 (n. d. Original).

De initiis humilibus mirabilibusque per secula incrementis Cultus B. Mariae Virginis.

Disquisitio historico liturgica, auctore R. P. Dōmnō Beda Plaine, O. S. B.
(Continuatio ex fasc. I. pg. 3—15.)

§ 4. De Cultu B. Mariae Virginis
in nono, decimo, undecimo et duodecimo seculis.

I^o. De officio B. Mariae in Sabbato.

Notum est omnibus diem Sabbati praecipuum jure divino fuisse apud Judaeos inter septem hebdomadae dies totaliterque

servitio Dei addictum. Sed haec lex Sabbati figurativa erat, et consequenter tantum transitoria. Unde non jam habet vim obligatoriam post mortem Christi et praesertim post eversionem civitatis Jerusalem, et plenam abrogationem legis Mosaicae. Character vero festivus ab ipsis apostolis attributus fuit diei sequenti, qui erat dies resurrectionis Christi, et jam ab iis dies Dominicus vocabatur ut patet ex Apocalypsi.¹⁾ Dies autem sabbati, decurrentibus tribus primis Ecclesiae saeculis, non fuit in ulla re discretus ab aliis septimanae diebus. Postea tamen seu exeunte quarto seculo eadem dies facta est quasi semi-festiva in Oriente ad impugnationem errorum Manichaeorum, juxta quos creatio mundi opus erat mali principii, et ideo res deflenda et jejuniis expianda, Romae vero circa eosdem annos et non antea, ut eruitur ex silentio Patrum, mos invaluit jejunandi die sabbati per totum annum, excepto tempore Paschali, in honorem sepulturae Domini, et forsitan ut melius secernerentur Christiani a Judaeis, qui veterem sabbati legem semper custodiebant. Sed res non agebatur saltem explicite in memoriam B. Mariae Virginis. Audiatur Papa Innocentius de hac die loquens:

„Sabbato jejunandum esse, ait, ratio evidentissima demonstrat quia inclusum est in biduo quo Apostoli fuerunt in moerore, et se occulerunt propter metum Judaeorum . . . Si autem Dominicae diei, et feriae sextae per singulas hebdomadas reparanda imago est, dementis est bidui agere consuetudinem, sabbato praetermisso, cum sabbatum non disparem habet causam a sexta feria, in qua passus est Dominus, quando et in inferis fuit (die sabbati).“²⁾

Eodem modo loquuntur SS. Augustinus, Leo et Gregorius de jejunio Sabbati tanquam instituto in honorem sepulturae Christi, quin ullum verbum hac occasione dicant de memoria Virginis Deiparae. Imo S. Nicolaus Papa in nono seculo similiter de eadem re tacet in suis Responsis ad Bulgaros. Quinquaginta tamen annis ante hunc Pontificem, B. Alcuinus, nostri Ordinis praeclarum lumen rogatus a pluribus ut textum componeret seu ederet Missarum quotidianarum ad usum ecclesiarum pauperum, quibus deerat liber integer Sacramentorum, assignavit Sabbato Missam de B. Maria cum lectionibus, collectis et aliis precibus, quae hodie inveniuntur in Missali Romano pro Sabbato de Beata. Unde eruitur, ni fallor, talem usum, scilicet, consecrandi sabbatum cujuslibet septimanae cultui speciali Virginis Deiparae habuisse primum institutorem, eundem Alcuinum. Quae res redundat, ut mihi videtur, ad laudem S. Benedicti et ejus familiae.

¹⁾ Apocalypsis c. 1, v. 10 et alibi.

²⁾ Epistola XXV ad Decentium, 7.

II^o. Officii parvi B. Mariae initia.

Decimo seculo, quod frequenter nuncupatum est (jure merito an non alii dicant?) aetas ferrea, tempus tenebrarum et vitiorum, debetur laus cujusdam institutionis maximi momenti pro clientibus Almae Virginis. Loquor de cursu quotidiano, qui vocatur *Parvum officium*, et in quo melius forsitan quam in ulla re alia assimilatur Creatori creatura, siquidem iste cursus laudis, qui Beatae Deiparae dicatus est, quaedam est reproductio cursus canonici: nam ut scitur, cursus canonicus quotidie persolvitur in nomine Ecclesiae ad gloriam Sanctissimae Trinitatis, quam pro objecto habet directo.

Origines istius *Parvi officii* obscurae sunt, tenebrisque involutae. Cardinalis Bona¹⁾ cum aliquot aliis et recentissime doctus Haffner²⁾ asseruerunt illud institutum fuisse seu a S. Ildefonso Toletano seu a Zacharia Papa pro Occidente, et a S. Joanne Damasceno pro Oriente. Sed desunt hujus assertionis probationes. Et primo si revera Joannes Damascenus auctor est *LVI* exhortationum seu antiphonarum ad Deiparam directarum, quae nuncupantur *Paraclitica* et solum correspondent totidem officiis vespertinalibus³⁾ istae Exhortationes nihil habent commune, quidquid in contrarium dixerint Bona et ejus sequaces cum nostro cursu *Mariali*, qui est quotidianus et extenditur ad omnes Horas, ac proinde non valet conclusio ex tali re deducta.

In secundo loco quam ob causam attribui possit S. Ildefonso Toletano institutio nostri cursus *Marialis*? Numquid invenitur iste in Liturgia Mozarabica, quae eundem Ildefonsum habet tanquam praecipuum redactorem? Numquid in ea deesset si revera foetus esset doctoris tam celebris in Hispania?

In tertio loco qua ratione asseri potest *Parvum officium* jam exstitisse in octavo seculo et notum fuisse tunc temporis apud Cassinenses Monachos? Nonne Petrus Diaconus potest invocari in hac causa tanquam testis, qui vixit in duodecimo tantum seculo minime in nono⁴⁾ nullaque auctoritate historica gaudet? Aliunde ex vita S. Gerardi (24. sept. 1030?) Hungarorum Apostoli, qui antea monachus fuerat in quodam coenobio ex abbazia Cassinensi dependente eruitur indirecte quod si ineunte undecimo seculo quidam cursus *Marialis* in usu erat apud Cassinenses, prae-

¹⁾ De divina Psalmodia XII, 1 et 2.

²⁾ Haffner: Commentarium *Parvi officii* germanice editum et in linguam gallicam versum a R. P. D. Laurentio Janssens O. S. B. (Maredsous) 1894. Introduction.

³⁾ Edita sunt haec *Paraclitica* ex Codice Cryptae Ferratae a Maraccio, sed proh dolor! non inveniuntur in Patrologia graeca.

⁴⁾ D. Haffner ejusque traductor hunc errorem admiserunt. — Opus citatum p. XXI in versione gallica, de qua utor.

fatus cursus non erat quotidianus ut parvum officium sed simpliciter hebdomadarius seu analogus nostro officio B. Mariae in Sabbato. En verba anonymi supparis, qui scripsit hanc vitam: „Singulis sabbatis cum novem lectionibus... ut in die Assumptionis, devotionis suae erga B. Virginem (Gerardus) persolvebat. Caeteris autem diebus bis cum Processione matutinis et vespertinis precibus persolutis ad ejus altare venire consueverat.^{4) 1)} Quae consuetudo ut clare patet non attingebat mensuram Parvi officii, de quo tractatur.

Proferatur in ultimo loco S. Petrus Damianus, cujus verba, ut mihi videtur, ipsam diriment quaestionem. Nam iste pius Doctor, qui mirifice propagavit sanctam praxim, de qua agitur²⁾ rotundo asserit ore eam ipso vivente recentis fuisse institutionis in Italia,³⁾ et simul indirecte fatetur eandem antiquiorem esse in Gallia apud pios clericos.⁴⁾

Insuper iste usus psallendi quotidie Horas B. Mariae Virginis conjunctim cum cursu canonico jam vigeat mediante seculo decimo in multis locis, ut eruitur ex vita Berneri (970) praepositi S. Mariae Viridunensis pro Gallia⁵⁾ ex gestis S. Udalrici (4. jul. 973) pro Germania⁶⁾ et S. Ethelwoldi Wintoniensis episcopi (1. aug. 984) pro Anglia;⁷⁾ quorum duo ultimi ad nostrum ordinem pertinent.

Haec tria documenta explicite loquuntur de quodam cursu, qui quotidianus erat et omnibus Horis, nulla excepta constabat, sed tamen nescimus quot omnino psalmis, antiphonis, lectionibus et aliis iste cursus tunc temporis coalescebat. Diversus erat verosimiliter secundum loca et non uniformis ut hodie. Haec conclusio prodit ex eo quod S. Petrus Damianus, qui hanc piam praxim, ut jam dixi, mirifice propagavit, quemdam cursum hujusmodi proprio Marte composuit, illumque edidit brevissimum, psalmis, canticisque carentem.⁸⁾

Sed res meliorem exitum habuit quando, undecimo seculo desinente, extensa fuit ad totum clerum et etiam pios laicos recitatio cursus Marialis quae antea paucorum erat. Nam in hac circumstantia cursus, qui habitus est tanquam legitimus, nihil aliud fuit quam hodiernum Parvum officium seu cursus substantialiter identicus cursui canonico, iisdem Horis constans, et aequali numero

1) Vita S. Gerardi n. 3.

2) Vita ejus a Joanne ejus discipulo, XV. Patrologia latina, t. CXLIV, p. 131 et seq.

3) Epistol. lib. VI, 32, tomo citato.

4) Ibid. n. 29 loco citato p. 419.

5) Chronicon Hugonis flaviniac. Patrol. latina t. CLIV, p. 191.

6) Vita n. 14.

7) Vita ejus appendix. Patrolog. lat. t. CXXXVII, p. 108.

8) Patrologia latina t. CXLV, p. 936—940.

Psalmorum, Antiphonarum et similium pro unaquaque Horarum. Sed verisimile etiam putatur nostrum Parvum officium non multum diversum esse ab illo, quo utebatur antedictus Gerardus Hungarorum Apostolus siquidem nihil aliud est quam officium festivum Assumptionis B. Virginis partitum in tribus diebus quoad noctis officium, repetitum vero quotidie quoad Laudes, Vesperas et Minores Horas, additis insuper Completorio cum aliquot novis capitulis et novis collectis.

Talia asserens circa Parvi officii Marialis initia, non sum proh dolor! concordis opinionis, ut jam dixi, cum Bona et ejus sequacibus, sed pro me pugnant Mabillonius,¹⁾ ac etiam quod majus est, antiqua documenta. Quocirca post plurimas investigationes de re tam magni momenti affigendas esse censui origines hujus exercitii, quod reputatur jure merito pretiosissimum monile pietatis Marialis,²⁾ non septimo vel octavo seculis, sed decimo solummodo.

Unum hic addam verbum ad dandam rationem ordinis aliquater chronologici quem inter se tenent septem collectae Parvi officii Marialis. Primus locus pertinet ad collectam officii Laudum, quae spectat ad Incarnationem Verbi divini in utero Mariae, Secundus vero ad collectam Primae, in qua recolitur habitatio ejusdem Verbi in utero Virginis antequam ederetur ad lucem. Deinde tertio loco venit collecta Tertiae, quae tractat de ipso partu Virginis Deiparae. Postmodum quarto loco adest collecta Sextae, quae loquitur de resurrectione a peccatis per virtutem Passionis et Resurrectionis Christi, et quinto collecta Nonae, quae eadem est ac collecta festiva Assumptionis Mariae. Tandem collecta Vesperarum sextum tenet locum, et implorat pro clientibus Virginis Deiparae sanitatem corporis et animae dum in septimo et ultimo loco id est in officio Completorii, petitur vita aeterna tanquam protectio absolute efficax adversus omnia pericula mortis corporalis, cujus somnus quaedam est imago seu praeludium.

III^o. Undecimum seculum. — Parvum officium et cultus de Beata in Sabbato ad universam Ecclesiam extenduntur.

Undecimum saeculum nobis apparet in orbe christiano tanquam felix era renovationis et dilatationis, tempus florum et fructuum. Si ei nulla forsitan adinventio novorum exercitiorum in laudem Virginis Deiparae tribui potest, ei saltem debetur laus sanctionis auctoritative datae cursui Mariali quotidiano, ac forsitan officio de Beata in Sabbato. Haec sanctio data fuit, ut fertur, in

¹⁾ Praefatio Seculi quinti Benedictini, nr. 117.

²⁾ Excellentiae hujus exercitii justus ponderator Leo XIII. illud majoribus indulgentiis ditavit, scilicet plenaria, mensuali et aliis per decretum tertii aprilis 1886.

concilio Claromontano anni 1095 a B. Urbano secundo¹⁾ praece-
denter monacho ordinis nostri cujus propositum fuit: „ut eo pacto
qui expeditioni sacrae suscipiendae inhabiles erant suis saltem
precibus milites adjuvarent, eis Virginis Deiparae patrocinium
promerendo.“ Ita Ruinartus in Vita Urbani secundi.²⁾ Stat pro-
fecto pro parte affirmativa Gaufridus Vosiensis (1184), qui tem-
poris et locorum sat vicinus potuit rei cognoscere veritatem,³⁾ et
post eum Durandus Mimatensis, Radulphus de Rivo et alii. Silent
tamen de hac re Guillelmus Tyrius, Baldricus Dolensis, Ordericus
Vitalis, et alii antiqui historici cruciatarum. Insuper deest textus
illius decreti inter Canones dicti concilii Claromontani. Unde du-
bitatur an sanctio, de qua agitur, formam praecepti habuerit, quo
casu inseri debuisset inter acta concilii, seu simpliciter induerit
characterem pii consilii sine vi obligatoria conscientiae. Iste secundus
sentiendi modus melius mihi arridet ex silentio historicorum jam
nominatorum. Aliunde auctor Micrologi, qui illis diebus vixit,
asserit „officium de Beata in Sabbato observari usquequaque
non tam ex auctoritate, quam ex devotione.“⁴⁾ Quae assertio
fere erronea esset si de facto res praecepta fuisset ab Urbano
secundo. Nihil vero dicit idem auctor de Parvo officio.

Insuper Venerabilis Petrus de Honestis, qui paucis annis
post dictum concilium Claromontanum quamdam scripsit Regulam
clericorum, nullum alium praeter canonicum suis discipulis
imponit cursum, remanente explicite officio B. Virginis ad libi-
tum fraternae devotionis.⁵⁾ Porro indubie sanctus vir aliter
locutus fuisset si lex Urbana, de qua agitur revera promulgata
fuisset, et palam enunciata. Item quod majus est, in concilio Late-
ranensi quarto tam celebri, ut scitur, tractatum est de officio divino
et de ejus obligatione quin vel aliquod verbum diceretur de Horis
Beatae Mariae.⁶⁾ Porro iste modus agendi minime conciliari potest
cum existentia cujusdam decreti pontificii anterioris, seu etiam
consuetudinis jam vim legis habentis pro universo clero. Nam si
vi cujusdam consuetudinis hujus generis, permansit in suo statu
officium de Beata in Sabbato, tanquam pars quaedam ipsius
cursus canonici quin novum de eo ederetur decretum post dictum

¹⁾ S. Gregorius VII a pluribus reputatur auctor hujus decreti, sed prorsus
deficiunt authentica testimonia.

²⁾ Nr. 226.

³⁾ Statuit (Urbanus) in concilio Claromontano ut Horae B. Mariae dice-
rentur ab omnibus quotidie, ejusque officium diebus Sabbati fieret. — Chronica
sui temporis c. XXVIII.

⁴⁾ Micrologus c. LX.

⁵⁾ Regula Clericorum lib. 3, c. XVIII. — Patrolog. lat. t. CLXIII, p. 738.

⁶⁾ Canon XVII. — Idem dicendum etc. de Innocentio tertio, qui in suis
Epistolis frequenter tractat de officio divino et de ejus obligatione, nihil vero
dicit de Horis B. Mariae. — Regest. lib. XIX, epist. XCVIII.

concilium Claromontanum, res aliter se habent relate ad Parvum officium. Istud enim quod ante dictum concilium non existebat nisi ex devotione, ut jam dixi, et non ex auctoritate, non alio modo viguit post dictum concilium saltem pro clero seculari,¹⁾ novaque statuta dioecesana seu provincialia necessaria fuerunt ut postea tanquam obligatorium in conscientia reputaretur. Hinc educitur duplex consecrarium scilicet primo, consuetudinem, quae pro objecto habebat officium de Beata in Sabbato vim legis per se revera habuisse post concilium Claromontanum, et secundo, illam, quae versabatur circa Parvum Officium eundem vigorem non obtinuisse nisi duo post secula et ex virtute statutorum localium, ac proinde nunquam desumpsisse vim legis universalis ex aliquo canone Claromontano. Accedo nunc ad statuta dioecesana et alia, de quibus hic agitur. Duplicis sunt generis, scilicet ea, quae tantum spectant ad officium chori quin attingant personas privatim consideratas, et alia quae extenduntur tum ad officium chori, tum ad officium privatim recitatum. Sat numerosa sunt statuta prioris generis sed nulla me conscio, antiquiora Parisiensibus circa ann. 1198 editis,²⁾ et Wigorniensibus anni 1240.³⁾ Statuta vero posterioris generis rara sunt, nullaque inveniuntur ante Coloniensia anni 1280,⁴⁾ et Leodiensia anni 1287.⁵⁾

En tenor litteralis ultimorum. „Nullus Horas Canonicas, et Horas de B. Mariae ulla nunquam die distincte et directe dicere praetermittat, maxime qui est in sacris ordinibus vel beneficio constitutus.“⁶⁾

Hic aequiparatur, ut patet, recitatio hujus duplicis officii tanquam eodem modo in conscientia obligatoria. Sed haec aequiparatio localis erat, et non universalis, ut opinati sunt aliqui Canonistae, quorum Fagnanus jure merito ante me rejecit sententiam.⁷⁾ Res ergo tanquam explorata et elucidata habeatur.

IV^o. Duodecimum seculum. — SS. Anselmus et Bernardus Virginis Deiparae speciales encomiastae.

Duodecimum seculum tempus gloriae fuit pro Ecclesia et pro humano genere, multos produxit sanctitatis heroes, multos item

¹⁾ Horae B. Mariae Virginis institutae fuerunt tanquam de praecepto in pluribus ordinibus religiosis scilicet Cluniacensibus, Cisterciensibus, Carthusianis et forsitan aliquot aliis currente duodecimo seculo. Sed hic agitur de clero seculari.

²⁾ Concilia, editio Mansi. Lucae 1747, t. XIII, p. 729 et 730: Synodicae Constitutiones IV, n. 11.

³⁾ Ibidem p. 1450, n. 12.

⁴⁾ Ibidem t. XIV, p. 682, n. 1,

⁵⁾ Ibidem p. 1130, n. 15.

⁶⁾ Ibidem t. XIV, p. 682 n. 1, et 1130 n. 15.

⁷⁾ Fagnanus: Commentarium in librum tertium decretalium. — De celebratione Missarum cap. 1, n. 34.

doctos viros. Relate tamen ad cultum B. Virginis, nullius ei debetur laus novae institutionis, sed dedit Matri Dei duos encomiastas magni nominis, scilicet Anselmum Cantuariensem et Bernardum Claravallensem, quorum primus tam luculenter prosa et metro descripsit virtutes et privilegia Virginis Deiparae ut a nullo devictus fuisset, si non quinquaginta post annis supervenerit celeberrimus Abbas Claravallensis. Iste vero idem elogium eloquentius resumpsit, et cum tantis fructibus animarum ut eum decoraverit orbis Christianus titulo duplici doctoris melliflui, et Doctoris specialis Virginis Deiparae. De facto multum debet Bernardo Theologia Marialis: nam ea pars scientiarum theologicarum, quae pro objecto habet Virginem Mariam et ejus mysteria, erat magna ex parte in obscuro et quasi inexplorata antequam mundo illuxerit Doctor mellifluus. Hodie vero post scripta ejus et eorum qui ipsius vestigia secuti sunt, praeclara privilegia et munera ac praesertim eximia sanctitas Virginis Deiparae item ejus materna clementia, seu quasi omnipotentia simplex ad lucem melius mirum in modum adducta sunt. Quo rerum statu sic feliciter mutato haec eadem sectio scientiarum theologicarum facta est et ipsa ex eo tempore quasi scientia specialis, cujus rami undique sese extendunt et multipliciter florescunt seu fructificant.

(Continuatur in fasc. seq.)

Wissenschaftliche und künstlerische Strebsamkeit im St. Magnusstifte zu Füssen.

Von Dr. Dav. Leistle, Rector und ord. Professor der Theologie am k. Lyceum in Dillingen.

(Fortsetzung zu Heft I. 1897, S. 57—68.)

§ 17.

Dem Abte Dominicus folgte in der Regierung Benedict (III.) Pautner (1738—1745), geboren zu Augsburg am 22. Mai 1676. Im Jahre 1696 legte er die Ordensgelübde ab, besuchte die Universität Salzburg, bekleidete in der Folge das Amt eines Professors, Priors und Novizenmeisters und wurde am 25. Sept. 1738 zum Abte gewählt. Abt Benedict war ein gelehrter Mann, geheimer Rath des Bischofs von Eichstätt und Visitor der schwäbisch-augsburgischen-Benedictinercongregation vom Heiligen Geiste. In der Leichenrede heisst es von ihm mit Anspielung auf seinen Namen und den der Universität nach der damaligen geschmacklosen Weise: Er wurde an die „weltberühmte“ Universität Salzburg geschickt, „dass er mit dem Englischen Saltz der Weiss-, Klug- und Gelehrtheit seinen Verstand noch mehrer benedeyen und gross machen solle“, hat dann „solches eingenommenes Saltz